

nimus ad celebranda solennia quibus recolatur memoria Lycei Chemnitiensis quod abhinc decem annos jam eheu! nullum est. Non enim, non effoetae arbori simile erat Lyceum hoc, quae coincidenda et in ignem conjicienda esset, sed ut olim Johannes Augustus Ernestius praedicavit insignem Lycei hujus gloriam quod *Heynios*, quod *Tzschirneros*, quod *Poelitzios*, quod *Winzeros*, *Illgenios*, quod *Bretschneideros*, *Neandros* tulit, ita nullo non tempore ex his spatiis, ex his, inquam, spatiis prodiisse viros accurata et subtili doctrina morumque gravitate atque honestate conspicuos, Vos qui haec spatia decucurristis, locupletissimi testes estis et dum vivetis, eritis. Itaque fugatas esse Musas Chemnitienses, non elegantiori cultu exornatas sed ex his spatiis exulare jussas quae artes mechanicae, chemicae, physicae occuparunt, quis Vestrum est qui sine summo et acerbissimo animi dolore meminerit? Et quo tandem animo me qui per quatuor annos quantum virium mearum ferebat mediocritas, in antiqua Lycei nostri laude tuenda una cum collegis optimis elaboravi, ex hoc loco discessisse putatis? Quantum autem quam triste sui desiderium reliquisse in animo meo existimatis eum virum, qui mihi collega, amicus, socer fuit integerrimus vereque unicus, eum dico virum cuius nulla unquam in animo meo intermorietur memoria, quem qui Vestrum norunt et praeceptorem habuerunt, non magis unquam oblituros esse confido, eum virum qui dum vixit, cura vere paterna errantem me admonuit, labantem sustentavit, depresso erexit, *Christianum Benjaminum Schmidtum* meum? Profecto si quis alins ego sensi, cum uno quasi ictu concussum ante hos decem annos corrueret Lyceum hujus urbis quae eodem illo tempore ad tantum splendorem, dignitatem, amplitudinem mirifice nunc auctam pervenerat ut praeter artium quaestuosarum officinam non tam postulare quam efflagitare videatur Musarum sedem et politioris humanitatis palaestram. At jam nec velim si possim, nec possim si velim, diutius tristissimae et luctuosissimae rei cogitationi immorari, sed admonet me Socrates qui apud Platonem ait, miro modo in vitae humanae